

Vide *Bocharti Hierozoicon, d. 1.* Simile quid de *Amphione* referunt, quod tamen pari ratione mysticè explicandum, esse docet *Solinus in Polybist. c. XII. q. v.* Sed ea potius in medium producere decrevimus, quæ certâ nobis fide constant.

§. XIII, Incipiamus ab efficaciâ Musicæ circa tollendos morbos. Eandem sibi ipsi apud *Martian. Capellam Lib. IX.* tribuit Musica, utpote quæ ita loquens introducitur: *Corporeis morbis medicabile crebrius carmen insonni. Nam phreneticos symphoniâ resanavi.* Et paucis interjectis; *Quid? afflictionibus corporis nonne assiduâ meditatione succurri? Febrem curabant vulneraq; Veteres cantione. Asclepiades item tubâ surdissimis medebatur.* --- *Xenocrates Organicis modulis lymphaticos liberabat. Taletem Cretensem citbare suavitare compertum est morbos & pestilentiam fugavisse.* Atq; ita omninò gloriari Musica poterat, cum revera contigerint, quorum illa mentionem facit. Per vulgatus etiam est *Athenæi locus Lib. XIV. Diogenisorhst. οὐ δὲ καὶ νόσος ἰᾶται Μυσικῆ Θεόφραστος ἰστῆσεν ἐν τῷ πρὸ ἐνθυσιασμῶ ἰχθιακῆς Φάσκων ἀνόσος Διγενεὶν, εἰ καὶ αὐλήσοι πρὸ τῆς πόπης τῆ Φρυγίσι ἀρμονία.* Adde, quæ habet *Gellius Noct. Attic. Lib. IV. c. 13.* Et, quæso, quis ignorat illa, quæ de *Tarantule* morso, & contra eum adhibitâ Medicinâ referuntur. Sanè hanc rem notissimam & vastissimis Libris explicatam nuncupat Celeberrimus *D. Daniel Georgius Morhofius* in eruditissimâ *Dissertatione de Paradoxis Sensuum Cap. III.* Non itaque de ejus veritate diu erimus solliciti, quin totam potius rem breviter verbis *Alexandri ab Alexandro Genial. Dier. Lib. II. c. 17.* ita dabimus descriptam; *Tarantula* (dicta à Tarento, Apuliæ Regione, quæ hoc animali abundat. *V. Portam Mag. Natural. Lib. II. c. 21.*) *aranae* genus est, *dirum animal, tactu pestilens.* --- *Morsu virulento pestiferam perniciem affert, cui tanta malovis est, ut, quem-*